


versus A , 6. min. (quarta parte scilicet) & eiusdem magnitudinis de alia ab hac materia duo circelli (vt sic interim loqui liceat) fabricentur, & ita componantur, vt alter eorum circumferentiæ alterius applicetur, quo liberè circa suum centrum moueri possit. Qui autem alterum in circumferentiâ fert, primus vocetur, ac centro lineæ AB in puncto C affigatur; secundi circelli centro nota F , & in circumferentiâ eiusdem ad placitum puncto assumpto, nota G adpingatur. Quòd si nota G secundi circelli applicetur A , termino lineæ assumptæ, & F , nota D eiusdem, ac æquali tempore G in vnâ partem super centro F angulum describat, duplum angulo ab F super C in partem diuersam descripto; patet in vna primi circelli reuolutione notam G lineam AB bis describendo perreptasse, & secundum circellum bis reuolutum. Quia autem tali descriptione lineæ rectæ per duos circulares motus compositos, G punctum circa A & B terminos tardissimè promouetur, in medio autem circa C concitatiùs, placuit D . Præceptor talem notam G per AB lineam motum, librationem vocare, cum talis motus ad similitudinem pendentium in aëre fiat. Appellatur etiam hic motus, motus in diametrum: nam imaginatione assumpto circulo, cuius AB , centro C , sit diameter; ex chordarum doctrina, quo in loco eiusdem diametri AB motu, quem dixi, composito, G punctum sit, recta HG semissis subtendens duplum arcum HA constituitur, secans diametrum AB in G , vnde secundum AG tabula prosthaphæresium fabricatur. Motum primi circelli super C , Præceptor Anomaliam vocat, eo nanq; motu prosthaphæresis deprehenditur. Etenim F centrum secundi circelli in circumferentiâ primi à D puncto in sinistram descendens, describat angulum, qui sub DCE sit v. gr. graduum 30, ibi in circumferenti-



*Libratio,
Motus in
diametrum.*

am cir-